

Mundus
navi simi-
lis.

Dic, amabo, nunquid humanum corpus navigio simile videtur, quod ed nobilius est, quo melius progreditur, & pro voluntate huc illic non solum per terram, sed & per mare, & per aërem ambulat; cuius tamen rectorem nunquam vidisti, quem si negas, tuam animam, principem hominis partem negas. Itaque concludas oportet mundum hunc ab aliquo regi, cui quodammodo sit anima nostra similis, qui reuera sit, minimè tamen videatur. Sed nec sua mundo partes desunt, quas, ni fallor, satis supràq; retulimus, quarum unica navigio integro longe maior est, & perfectior. Nec enim credo, negaveris stellas, planetas, cælos, & elementa inter mundi partes annumeranda. Mundus ergo partes habet, quibus coagmetatus, atque compositus est, si compositus, à quo? non à se, cum nihil seipsum componere, vel constituere possit; est enim omnino necessarium, ut res in esse suo constituatur, priusquam agere possit quidpiam; igitur ab alio; hic autem alius est, quem inquirimus, quem credendum tibi proponimus, quem suspicimus, quem adoramus, quò maius dicimus esse nihil.

Quemadmodum verò non est potior ratio, cur hoc aut illo modo naudem architectus efformat, aut his vel illis armamentis instruxerit, nisi quia ita voluit, & vile ad scopum sibi propositum iudicavit, ita neque ratio maior est, cur hac aut illa ratione mundi partes singulæ disponatur, & tot species, & indiuidua versentur in elementis, non plura, neque pauciora, nisi quia mundi præpotens artifex ita voluit, & ea omnia tali modo disposita aptissima fore iudicavit, quibus, & homines proficerent, & diuina gloria illustrior appareret. Iam verò nihil est amplius, quod Athei vel obiciant, vel cogitent, quod eos à diuini numinis confessione retardet, nam siue in terra degant, siue in mari versentur, nihil est, quod alta voce non insonet Deum esse, sine Deo nihil vel esse, vel intelligi posse, ut totidè voces, quot creaturas numerare possis, quæ hæc veritatem nostris oculis, & auribus, nostræq; menti infundant.

Diversi funes
in navi.

At verò semel iterum oculos in naudem conuerte, vide rudentes, quos vel cannabis, linum, spartu, & iuncus, vel palma, philyra, & ceraforum, vitis, tilia, carpini, arundinum, & aliarum arborum, cortices, aut aliæ partes suggerunt. A pice quàm varij funes ad nauim requirantur, quos Græci ἄλλοις appellat, nam ibi deprehendes mesurias vela subducentes, protonos, pedes, propedes, & hyperam, quibus velum alligatur, anchorarum pestmata, seu pnyrnesta, epitonum antemnam malo alligatam, protonas tū à prora, tum à puppi extréfas, tropopores scalmo remum alligantes, quos Vitruuius l. 10. strophas appellat: trācennas, opiferas, mitram, anquinam, rhyrata tractoria, remulcos, sibilla, cataprorates, quibus tentatur maris altitudo: napurā, oīam, mataxas, thominges, seu tomices, mermides, merinthios, hormia, & reliquos funes, qui soli magnam admirationem commouere possunt.

Vitruu.

Aplustra.

In præsentī verò omnia aplustra relinquo, quantum referere possum amphimetria, segestria, peripetasmata, & cætera acrocorymba, ut mecum attentius pyxidem illam contempleris, qua naucleus pergit, quocumque voluerit: In qua reponitur acus nautica, quæ totam cæli, terræque dispositionem ostendere possit. Quam profectò tamen si solā consideras, magnam diuini numinis erga homines beneficentiam demonstrat; quid enim illa potest esse admirabilis, quæ Septentriones ad eò certā lege se-

quitur, statim atque magnetæ tacta est. Vbi dignū est animaduersione, quod Maurolycus c. 10. de lineis hōrariis cū aliis pluribus aduertit, qui magnetæ rationem attractionis in legis vniuersalis naturam, & similitudinē refundens, ait vicissim magnetem à ferro trahi, quando maius est ferrum; se verò inuicem trahere, vbi filo suspensa fuerint æqualia, imo & magnetem trahere magnetē, lapidem tamen affixū ferri vim non acquirere, quod lapis sit natura prior, & ferrum ex illa minera, sicut ritus à fonte promanet. Quibus ideo nunc omisiss, quia latius postea de natura magnetis dicturi sumus; placet ad alia diuertere, nempe ad nauigationem, quæ totum mundum pulchrè nobis referre potest. Si enim præter nauis partes, armamenta, & ornamenta, de quibus pauca præmissa sunt, eos, qui in nauibus degunt, contempleris, naudem pro Republica, ciuitate, regno, vel mundo sumere possis. Ibi enim gubernator seu κυβερνήτης adest, à quo totius vitæ nostræ rationem Max. Tyrius deflexit, nā gubernator vnus nauigationē moderatur, ut animus corpus; nauis gubernatoris imperio patet, ut animo corpus, venti nauem impellunt, quemadmodum virtutes in sanctis Spiritu sancti. Quod si tēpestas exoritur, manente nauī, incolumique gubernatore, salutis nunquam spes amittitur, siue nauis ipsa recto feratur cursu, siue atre tempestatem deuict, dum tamen à gubernatore regatur.

Maurolycus.

De magnetæ.

Nauis cum mundo, vel Reipub comparari potest. Tyrius. De gubernatore.

At si gubernatorem ipsum absterueris, inutilis nauis efficietur, etiam si firmitatem propriam seruet, & inutilis erit ventorum status, etiam si secundas, ac prosper fuerit, propterea & in mari, & in nauī, & in nauigatione preciosissimus est gubernator. Ergone dicit aliquis mundum sine gubernatore constare posse? An corpusculum animo, an nauis rectore indigeat, non autem magnum illud mūdū totius nauigium? Absit, ut id suspicemur; habes igitur, Athee, rectorem, & archigubernium in toto cælorum ambitu constituendum esse, aduersus quē non debes insurgere, vel blasphemis cum impetere, Cercitarum more Scythia populorū, qui suos gubernatores spūis impetebant, si quid apud nos cōtingat, quod vel nolles, vel non intelligis; quemadmodum enim non intelligit nauis, imo neque ij, qui traiciunt, cur hoc aut illud iubeat, faciat, Nauearchus, ita neque homines diuinæ mentis secreta penetrare possunt.

Sermo ad Atheā dirigitur.

Possumus alios, qui nauī seruiunt, post gubernatorem aspicere, quem, ut iam nauis dominum reuicem, sequuntur nauicularij, nauitodicae, qui iudicij præ sunt, apostoles, thalassometæ, celestina modulantes, siue assa voce, siue tibia, ut pro modulatorum, & harmoniæ ratione remiges remos concitent, vel inhibeat, quod ferui symphoniaci aliquando etiam cithara fecisse dicuntur: illos autem hortatores, portifculos, vel, ut est apud Senec. epi. 7. paularios antiqui nuncupant.

De iis qui nauī seruiunt. Celestina quid.

Vin proretam insistentem præter, & remigantibus imperantem, nauicularios, nauales socios, thalamias inferiores, zygitas medios, & superiores thranitas, vis nauphylaces, tæcharchos, helcyarios, epibatas, propugnatores classarios, mesonautas, diatarisioque tibi proponam? Quorsum tor officia, tot homines, ferui, domini, nisi quia singula cum ordine, atque ratione administrari debent, sine qua statim naufragium sequeretur? En vides omnia rectore quodam opus habere, qui non tantum in magnis, sed & in paruis nauigis sit omnino necessarius. Concludas igitur huic mun-

do